LAUREAE IN MEDICINAM AB ARCHIGYMNASIO PATAVINO THOMA DE...

Tommaso De Togni

LAUREAE IN MEDICINAM

AB ARCHIGYMNASIO PATAVINO

THOMA DE TOGNI

COOPTATO

EIUSDEM

ANIMADVERSIONES

IN

APYRETICIS MOMENTIS

FEBRIUM INTERMITTENTIUM

PATAVII

EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXVIII

Ab illa aetate, qua gravioribus detegendis arcanis medicae artis, empirica semper obvolutae caligine, ejus antiquior incubuit magister, ad hanc, qua Italica nova doctrina apparuit, perpetuo usi sunt aestimare febres intermittentes in eorum *accessuum entitate*, vel in eorum *quo prodeunt modo*, vel etiam *in eorum Pathogenia*, quam hujusmodi febribus assignare visum est neotericis pro illorum aestimandi diversitate.

Studium itaque momentorum apyreticorum quanti esse debeat, tot dissidia testantur, quae hactenus in usu artis de ratione aestimandi, curandique febres intermittentes pullularunt. Sane veteres quasdam in sanguine alcalinas, acidas, ac glutinosas materies invenire dixerunt, quas temperare specifico duntaxat peruviano datum erat; quasque itidem Galenus, atque immortalis Sydenham aspectavit: immo laboriosus ille Boerhaave humorea etiam male habitos corruptosque effinxit. Cullen vero spasma, Brown debilitatem cogitavit; sed nemo praestare poterat ingenio Giannini, nemo enim sibi persuasum esset, quod, sub earumdem circumstantiarum influxu,

duo inter systemata unum alteri adversaretur: ex quo pulcherrimae suae nevrosteniae originem praebuit.

Verum recentiores observationes, tum a sana experientia confirmatae, tum a severiori perpensae philosophia, judicium de intermittentibus non eodem ferunt adspectu, cum in eorum momentis apyreticis debeant potius considerari. Et revera nomine febrium intermittentium veniunt febres, quae in eorum accessionibus longiores obtinent, vel breviores intermissiones apyreticas. Cum vero hujusmodi sint, nisi symptomata declaratae conditionis morbosae esse nequeunt: e contra succedaneae remittentes febres sunt indicia continui explicati processus morbosi. En itaque cardines, in quibus, ut mihi videtur, sunt ab Eclético pro curandis intermittentibus vertenda dogmata Therapiae.

Profecto si ex abusu sex rerum non naturalium, praesertim earum quae valent imminuere vel augere sanguinis motum, congestio sequitur; atque si hujusmodi congestionibus ea viscera, quae ad hoc disposita sunt, subjiciuntur; evidens est, quod systema splancbnicum specistim illud venae portarum, prae aliis affici debet. Quod autem imminutio vel incrementum sanguinis motus istius congestionem efficiat, patet ex sectione cadaverica, imo ex phisiologi perspicacia, qui illud meridiana luce illustrare accedit. Congestio idcirco, vel turgor, ab omnibus praesertim pathologicis conditionibus debet distingui, praesertim ab inflammatione, quae tamen originem saepe suam ab iteratis ducit, ac efficacibus congestionibus.

Haec eadam animadvertens non dubito adserere, quin febris intermittens ab apyreticis quibusdam momentis secuta, ob id verum sit congestionis symptoma; quod in apyrexis evanescunt symptomata, quorum vi aegrotus laborat, id vero haud prorsus eveniret si organicus jugiter vigeret morbosus processus. Quod si quis male animo comprehenderet caussam, qua accessio restituitur, evidentius id effici responderem, quando apyreticis momentis aegrotans tantum omnino cumulaverit stimuli, quantum sufficit ad repetendam congestionem; quae pluries iterata ad febriles repetendos motus nervos inducit, quamquam non sint ab eadam causa in posterum affecti

Hinc patet 1.° cur febris tertiana symplex, duplex tertiana, vel quartana evadit, cum plus minusve temporis necessa sit ad id stimuli cumulandum, quod accessus restituere valeat. 2.° cur motus quidam febriles persistant, etiamsi curae rationalis methodus turgorem conjecerit. Quoad primum haud poterit febrem emendari, nisi stimulo directim subducto, antevertatur congestio: quoad alterum, habitudinem censeo quam nervi iniare, distrahendam, quod kininum aut china mirifice praestat.

Cura itaque mixta, quae prima fronte videtur curam praestare hujusmodi febrium speciei, iis porro consentanea est principiis, quae ab empirico aestimata, unum alteri adversatur.

Si vero quaedam ex iis febribus per simplicem chinam propellantur, profecto id evenit, tum quia pauci erat congestio, tum quia tertium earum stadium imminutionem supplevit stimuli, quae fieri a medico

debebat. Hinc patet, quod china aut kininum distrahere duntaxat habitudinem valet; qua iterantur motus accessus febrilis.

Subjungam praeterea, quod si primum post accessum legitimae intermittentis, alterum supprimere valeat administratio chinae, etsi nihil in nervorum habitudinem praestat, quum nondum contracta sit, vi tamen sua sanguinis motum in eodem retinet statu, quo sub momentis apyreticis, in quibus administratur, qua de re opponitur inordinatis arteriosis motibus congestionem determinantibus. Minime china in his febribus detrimenti est, sane quia minime a continuo vero processu morboso febres efficiuntur, neque a Browniana etiam debilitate, quae saepe in eventus causas vim inducentes sequi deberet.

China igitur vel reversioni accessus opponatur, habitudinem porro a nervis repetendi motus febriles in antiquis, ac recidivis, sed tamen legitimis febribus distrahendo; vel motus sua vi apyreticos servet, hincque accessus reversioni opponatur, perinde efficiens ne hanc habitudinem systema ineat nervorum; perpetuo hujusmodi pharmacum est, quod simplicem habitudinem aut dirimit, aut impedit contrahendam: ideirco in legitimis intermittentibus quae ab organico processu morboso non efficiuntur, china pro specifico valet, cum e contra eccidium infert in eas, quae vere a continuo organicae conditionis morbosae vero processu efficiuntur, quemadmodum mihi infra dicendum erit.

Consectarium itaque 1.°, quod perturbationes illae quae a congestione oriuntur, ab intermittentibus

constitutae, non sunt indicia verae pathologicae conditionis: 2.° quod reversio accessus post apyretice momenta vel determinetur a stimulo, quod cumulatur in intermissione quodque novum inducit turgorem; vel a repetitione motuum, quos nervorum systema per habitudinem subiit, idque pro ea causa, quae praeter eamdem habitudinem esset nulli.

Verum non ita facile existimari potest mutatio intermittentium febrium in remittentes, quo casu continuo suppeditantur organico processu morboso. Diximus jam, quod repetitae congestiones non dubium inflammationis processum inducunt; nimirum congestiones, quae fere circulum sanguinis a circumferentia ad centrum determinantes, frigus afferunt, a quo summa periculi: denique congestiones illae, quae aliquod viscerum tumefacientes, eas efficiunt pertinaces phlogisticas accensiones, quae celerem, vel tardiorem habent decursum, quo turgores magis ante repetiti, nec non majoris fuerint vel minoris efficaciae. Repetitae igitur congestiones, quae prius effecerint intermittentes apyrexias, haud dubie causae organicae affectionis a phlogosi designatae evadunt.

Attamen dictitari scio, quod etsi febres ab inflammatione deriventur, cum phlogosis une sit, necessarii cursus, atque a medico nequaquam reparabilis, hujusmodi febres continuae esse debent. Ad rem, autopsia mortuorum ex frigore intermittentium, ad splanchnica viscera laesiones profert organici processus morbosi, qua de causa vel inflammatio esse potest intermittens, vel febres intermittentes profecto ab inflammatione ali possunt.

Hoc sane argumentum invincibile apparet; nullatenus ejus debilitas in opere Bononiensis Clinici de inflammatione manifestatur: mihi vero satis erit observare, quod nimirum cum inflammatio una sit, cursusque necessarii, profecto ob id intermittentes febres ab inflammatione derivari nequeunt. Si vero cadavera, specie hujusmodi functorum, splanchnica viscera inflammationibus correpta proferunt, id evenit ratione mortis in eodem accessu, quo coeperat inflammatio; unde inflammatio nequaquam causa, sed effectus intermittentium congestionum procedit. Quod si violentia febrium, quae inflammationem efficiunt, non interimat aegrotum, tunc in ipsa apyretica momenta desinunt, eaque succedunt purae remissionis quae laborantem exuent vita, nisi medicus ope sua prudenter succurrat.

Tenendum itaque, quod veris inflammationibus quaedam intersunt remissiones atque exasperationes, quae momenta perfectae apyrexiae simulant utique, non vero constituunt.

Revera attendant qui praecepta medicae artis exequuntur, et bene animo apiretica momenta intermittentis legitimae febris, quae nimirum a simplici congestione efficitur, perpendant: deinceps ea conferant cum remissionibus eorum symptomatum, quae in febribus continui inflammationis processus intermissionem effingunt: porro videbunt, quod illa designantur cessantibus ex toto symptomatibus, quibus conflictatur aegrotus; haec vero, tametsi simulent apyrexiam, brevia, nullique erunt solaminis, etenim aegrotus processu in dies laborat, cujus vi intermis-

siones nequit obtinere. Sua igitur poterit intensitas, ut exasperet determinatis intervallis extenuari, id quod efficit habitudo a nervis non remittendi quidem, ast repetendi motus quadam temporis periodo. Revera quid erant intermittentes illae perniciosae, quas veteres, ceu febres essentiales considerabant, nisi febres in remissionem decedentes, eo quis primigeniae efficacis speciei congestiones affectabant flogosi viscera, quae prius turgida, inflammatione dein corripiuntur!

Aegrotus brevibus quidem, sed non dubiis antea solabatur apyreticis momentis: postea vero quum in eo coepit inflammationis processus, nonnisi fugaces quasdam experiri remissiones potest, quae saepe nuntiae lethalis sunt affectionis. Denique remissio haec istiusmodi est, ut curantis intermittentes rebelles ac inveteratas medici ita oculos inumbret, ut vestigia empirici porro ipse praetentet. Nullum sane ibi locum curiositati, cum lethale esset remissionis momento eodem uti specifico, cujus tanta est efficacitas in impediendo, ne verae redeant intermissiones. Heu quanti detrimentum esset, quod usus chinae afferret in apyrexiis non dubii phlogistici processus! Detrimentum equidem non minus illo quod infert in apyrexiis, quae inflammatione laborantes intermissionem simulant, vi remissionum atque exasperationum. Curativa idcirco methodus illis adponenda, methodus erit inflammationum, accomodata majori, vel minori, qua prodeunt, intensitati. Accurate igitur distinguenda est intermissio a remissione, eo magis, quo medicus vehementer exitiosus evaderet, cum intermissioni

curandae ea pharmaca opus sint, quae sunt remissioni perniciosa.

Interea iis febribus nomine perniciosis, quae intermittentibus succedunt, quasque in cadaverum autopsiis processus inflammationis ostendunt, quid empirici sibi volunt? Quid? si china in eorum indoles administrata mirum in modum progressus reprimitur? Juvat hic repetere, quod si usus chinae in supprimendis, qui dicuntur accessus perniciosarum, interdum prodest, id evenit, quia nondum procedit febris a vera inflammatione, quae prorsus accenderetur, nisi evanesceret accessus, cujus erat pensum eam postremo inducendi. Quamquam enim excitata phlogosi prodesset, id erit simulate; nam cum excessus stimuli non tueatur organicam mixtionem, sed diruat potius ac profundat, hinc, non curato processu phlogistico, realis ea efficitur debilitas, quam administratio china vel eripit, vel moderatur. Praeterquamquod, cum dirimere valeat habitudinem, quam inivit systema nervosum repetendi quibusdam determinatis intervallis, etsi non semper eadem praesente causa, motus febriles, hinc juvat usus chinae, tum restituere vires aegroto, tum distrahere nervorum habitudinem, repetendi scilicet majori efficacia motus febriles: id tamen, phlogistico processui vim addens, aegrotum specie cujusdam, quae mentitur tranquillitatis, ad periculum exasperationis comparat, quod futurum illi lethale. Attamen virtutem quamdam naturae hominis insitam non ignoro, quae quorumdam morborum, in iis quae obtinent medicamina levaminibus, salubrem efficiens instaurationem, genium

morbi demutat, genium, quod prius tam horribilem praeseferebat speciem. En itaque adjumentum quod honorem triumphi empirico decernens, aegroto eam reddit vitam, quam dirimere intempestiva cura debebat.

Quum ab intermissione febris in remissionem proxime transit, tunc apiretica momenta perbrevia sunt; efficax enim nervorum est habitudo ed repetendos eorum motus summi periculi, brevioraque momenta praetereunde, pro vitali emphasi, quam in viscera proxime inflammatura ingentes adferunt ac repetitae congestiones. Si haesitante medico momenta fugiunt aegroti valetudine pretiosa; vel hinc affectata pars novi accessus periclitatur vehementie; vel febris intermittens in remittentem mutatur, quam ob rem china excidium infert.

Interim concludere est 1.° quod febres intermittentes legitimae cujuscumque sint generis, ab assidua nequeunt morbosa conditione eli, eo quod in apyreticis momentis nullum accedit indicium apparatus morbi symptomatum, quae in remittenti proximae inflammationis statu non deessent. 2.° Quod febris statim revertitur, ac aegrotus in apyreticis momentis tantum cumulaverit stimuli, quantum ut accessio fiat necesse est. 3.° Quod quum interdum nonnisi ab habitudine quadam nervorum febriles motus efficiantur, hinc ad id solum administratio specifici peruviani juvat, quod motus mutare valet.

Insuper necessario tenendum, quod congestiones in viscera praesertim splanchnica iteratae, verum inflammationis adferunt processum, quo excitato epire-

tica momenta febrium, quae symptomata ex congestionibus proferunt, in remissiones immutantur atque exasperationes, quae a novo derivantur constanti organicae inflammationis processu: mutationi autem hujusmodi usus Contrastimuli opus est. Denique tenendum, quod China supprimere valet accessus febrium nomine perniciosarum intermittentium; quod porro efficit, namque processus morbosus nondum excitatus, proxime tamen excitaturus pro violentia novae congestionis erat, nisi China adhuc in tempore administrata reversionem inbibuisset: usum enim istius pharmaci systema nervorum a repetendis febrilibus motibus desuefacere dixi; etsi non inficiavero, revertere statim ac desinit operatio ejus. Revera quamquam, excitato jam morboso processu, utile censendum esset, cum vires aegroti, male curata phlogosi, vehementer projiciat; hinc eodem actu, tum ad vires restituendas, tum ad exasperandam inflammationem efficax esset; quo casu emendatio nec directa foret, nec curativa.

Tali modo cavillationibus expers, atque inductionibus systematum, aliquid animadvertere conatus sum in aestimandi rationem intermittentes, quoad intervalla momentorum apyreticorum. Antiquum febrium indicem hujusmodi aestimandi ratio breviorem efficit, quatenus tunc quodlibet eorum symptoma, eorum etiam Protagoniatam antumabant. Hinc vomitiva, comatosa, lethargica mea quidem sententia non sunt reapse, nisi febres ab aliquo ex his comitatae symptomatibus, quae sive a majori vel minori statu morboso dependent, a quo febres efficiuntur, sive ab or-

gano quod prae aliis minatur. Quis non videt intermittentem veterum Athassicam, quae ingentem virium defectus inducit, nihil aliud esse quam symptoma diffusionis, vel sympatiae phlogosis cum encephalo, quae legitimis intermittentibus saepe male curatis succedit, quaeque sensus, ac motus virtutem expuugit? Pro certo si quis in hujusmodi febre chinam adhiberet ceu tonicum, symptomati accurreret, dum interea pathologica conditio, quae sternit vires, dominatur. Quamobrem interitus aegroti bene saepe lumen infert Medico. Medicae hinc laudis dignus erit dumtaxat, qui specificum peruviannm in momentis apireticis ministraret, quique illud remissionibus amovebit, quae simulant apirexiam, nisi prius phlogisticam subtraxerit conditionem, quae intermissionem mutavit in remissionem.

Ad hunc modum, qua tenue meum praestavit ingenium, ad hunc modum actione febrium nomine intermittentium, ab iis quae sunt vel fiunt remittentes, quaeque fallunt in eorum cura, actione, dicam, distincta, conficiam hoc summarium meum advertens, quod argumentum hujusmodi tam grande est, ut uno intuitu discurri non possit; quamobrem precor omnes qui benigni sunt, ut orationi iudulgeant meae.

THESES

I.

Legitimae febres intermittentes cujuscumque Tipi nequaquam ab organico inflammationis processu efficiuntur.

II.

Repetitae congestiones, quae intermittentes efficiunt, verum in affectam, aut congestam partem inflammationis processum inducunt, atque hinc febris mutatur in remittentem

III.

Accessus reversio tanti a cumulatione stimuli, quae fit in apyreticis momentis, determinatur, quantum satis, ut congestio, hincque symptoma febris, instauretur.

IV.

Accessuum intermittentium repetitio interdum ab illa determinatur habitudine, quam contrahit systema nervosum ad repetendos quibusdam determinatis intervallis motus febriles.

V.

China quo utilior in intermittentibus est, eo magis perniciosa in febribus remittentibus.

VI.

Kininum accessifugum est, eo quod in nervorum systema modum sentiendi immutat.